



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica

Ab Anno 859. Usque Ad Annum 887

Fleury, Claude

August. Vind. [u.a.], 1760

VD18 90117875

§. 37. Photius & Gregorius in Concilio. Sessio septima.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-66112](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-66112)

maticos; septem dierum spatium ad de-
 liberandum se ipsis concedere, quibus
 præterlapsis nisi se subjicerent, Patres
 Concilii sententiam pronunciuros.
 His, inter solitas acclamationes disces-
 sum.

§. XXXVII.

*Photius & Gregorius in Concilio.
 Sessio Septima.*

Sessio septima elapso quatruiduo, nempe ^{29. Octobr.}
 vigesima nono Octobris celebrata,
 Imperatore præsentem. Quo etiam ju- ^{p. 1061.}
 bente, Bahanes Patricius ad Legatos
 Romanos dixit: *Induciis Photio datis
 jam completis, duximus eum iterum ad
 Sanctam & universalem Synodum. Si ita
 jubetis, introducetur.* Nempe dies de-
 cem a quinta Sessione, ubi fuerat intro-
 ductus, numerabantur. Legati dixe-
 runt: *introducatur.* Intrat Photius sci-
 pione innixus, comitante Gregorio Sy-
 racusano. Marinus Legatus Pontificis
 dixit: *Auferte de manu ejus scipionem,
 Dignitatis Pastoralis signum! non habeat in
 manibus baculum, quia lupus est, non pastor.*
 Aufertur itaque ei baculus; Legati autem
 Romani dixerunt: *Interrogate illum, an
 deliberaverit, & libellum scribere velit.*
 Tum Bahane interrogante respondit Pho-
 tius: *Rogamus Deum Gregorius & ego,
 ut per multos annos conservet vitam Im-*

Sæculum IX. A. C. 869. *peratoris, cui de omnibus, non vero Legatis, rationem reddemus. Bahanes dixit: Nihil aliud affertis? Photius: Si isti morem gessissent dictis nostris, quæ nuper attulimus, hodie non ita interrogarent. Si vero eos iudicii sui jam pœnitentia subiit, eam operibus ostendant. Bahanes: Quam tu pœnitentiam? Gregorius: Agant ipsi pœnitentiam de peccato, quod admiserunt. (*)*

Cum Bahanes hunc sermonem Legatis retulisset, illi per interpretem, nam græcæ linguæ ignari erant, nos non convenimus, ut accipiamus ab ipsis vel increpationem vel pœnitentiam, sed ipsi a nobis hanc debent accipere. Talia non sine Ecclesiæ ludibrio loquuntur. Nihil aliud interrogamus, nisi an velint libello Romano subscribere. Scimus, quod a pedibus usque ad caput vulnerati sint propriis iniquitatibus. Nolumus aliud respondere. Eadem ferme responderunt Legati Orientis, & Photius iterum a Bahane interrogatus dixit; nihil se habere, quod ad calumnias responderet.

§. XXXVIII.

Alii Schismatici coram Concilio.
Episcopis deinde Photianæ factionis introductis Legati Papæ dixerunt: In
pra-

(*) Summa certe fuit illa ætate Disciplina Eccle-